



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

Fontes Amisii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Frondosus arboribus fontibusque venerationem exhibebant. De Prussijs Helmoldus lib. 1. cap. 1. circa An. 1168. Usque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia communia cum nostris, solus prohibetur accessus lacorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu. Alium atque aliam ex causa honorem Luppie caput meretur, nempe ob memoriam sacri lavacri, quo ad fontes ejus, haustis inde aquis, ingenti numero Saxones abluti. Astron. in Annal. Poeta Annon. l. c.. An.

10. ET ALTE CELATIS NILI PRÆFER ORIGINIBVS. Tibullus lib. 1. eleg. 8. Horat. lib. 4. od. 14. *Te fontium qui celat origines Nilus.* Lucan. lib. 10. Plinius. lib. 5. c. 9. *Nilus incertis ortus fontibus.* Hinc apud Æthiopas aqua è tenebris profluens appellatur. Licet ergò Nilus

11. INNVMERIS TVMIDVS PETAT AMNIBVS ÆQVOR. per ostia plura, ex quibus septem potiora Plin. l. c. enumerat.

12. FONTE TAMEN MAIVS. illustrius religione & armis, castris & concilijs, & tam Romanæ quàm Francicæ historiæ monumentis celebratum nomen habet Luppia: nam Nili è contrario fons aut omnino absconditus, aut saltem obscurus & incertus, nec ullam memorabili re insignis & cognitus. Plin. l. c. *Nilus incertis it fontibus, & per deserta & ardentia, & immenso longitudinis spacio ambulans, famaque tantum inermi quesita cognitus, sine bellis, quæ ceteras omnes terras invènere.*

FONTES AMISII.

I. FONTES AMISII. Qui lingua vernacula *Ems*, à Melà & Plinio *Amisius*, *Amisia* à Tacito, Strabone *Ἀμισία*, Ptolemeo

Ptolemæo *Amisus*, atque inde *Amasius*, *Amasis*, *Amisis* & *Amisus* appellatur. Soliti enim Romani in fluviorum nominibus *e* in *a* commutare, exempla in *Alifone*, *Albi*, *Adrana*, *Ambræ*, *Amisio*, pro *Elsen*, *Elb*, *Eder*, *Emmer*, & *Ems*. Extam varijs verò ejusdem rei nomen proferendi scribendique modis rectissim^o is, quo Plinius & Mela antiquiores Tacito, Strabone & Ptolemæo usi, & fluvius ab urbis, castelli & præsidij loco distinguitur: non enim *Ἀμασία* & *Ἀμείσεια* apud Strab. Ptol. & alios geographos, verum etiam *Amisia* apud Tac. l. 2. *Classis Amisia relicta levo amne*, oppidum vel munimentum significavit. Cluver. l. 3. c. 18. Schildius. de Chaucis. lib. 1. c.

2. ILLE EGO SVM AMISIVS. clarissimus & nobilissimus amnis. Mela. l. 3. c. 3. *In Oceanum Amisus, Visurgis, & Albis clarissimi*. Plin. lib. 4. c. 14. *Amnes clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Vistillus sive Vistula, Albis, Visurgis, Amisus, Rhenus, Mosæ*. Adamus Bremens. lib. 1. hist. eccles. c. 2. *Nobilissimi Saxonie fluvij sunt, Albis, Sala, Vvisura, quartus situ, non dignitatis ordine, quo Salam longè præcedit, ex magnis Saxonie fluminibus est Emisia, qui Vvestualos à reliquis illius provincia dirimit populis. Isque oritur in saltu Padarburnensi; currit autem per medios Fresonum terminos in Oceanum Britannicum.*

3. OLIM ROMANA NOTVS IN HISTORIA, præcipuè annalibus Taciti. lib. 1. c. 60. *Cecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Brueteros ad flumen Amisiam mittit. Quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter vastatum. c. 36. Mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut ad venerant, reportat. lib. 2. c. 8. Usque ad Amisiam flumen secundà navigatione per vehitur. Classis Amisia relicta, levo amne. cap. 23. Plures Casar classi impositas per fluvium Amisiam Oceano in vexit.*

4. QVI CENTVM DELABOR AQVIS
COMITATVS IN ÆQVOR. Mela. Plin. Adamus
Brem. supra. n. 2. Strabo. l. 7. in *Britannicum*. Adamus Brem.
ad *Aquilonem*, sive *Borealem Oceanum*. Strabo. pleno latóq;
ore infra *Embdam*, illustre in Frisiâ emporium, effundit-
tur. Isac. Pont. lib. 1. orig. Franc. c. 9. longissimum enim
cursum tenet, plurimósq; interea fluvios recipit, atque
ingentem aquæ copiam in Oceanum defert.

5. ANTE PERERRATIS VRBIBVS. Falsò inter
urbes, quas Amisius pererrat, Althamer. in Tacit. de morib.
Germ. *Paderbornam*, *Bekenam*, *Monasterium* & *Osnabru-
gum* numerat. Nam partim longiore, partim brevior
intervallo ab ijs distat. Quas autem verè alluat, tabulæ geo-
graphicæ demonstrant; nimirum *Ritbergam*, *Vvidenbruggi-
am*, *Rhedam*, *Varendorpium*, *Telgetum*, *Rhenam*, *Meppenam*,
ubi *Hasa* altero Caroli M. cum Saxonibus prælio & victoriâ
inclytus amnis confluit; & ad ipsum *Amisij* ostium *Embdam*.

6. ET POPVLIS. ANSIVARIIS olim, qui pulsi à
Chaucis Frisiorum limitaneos agros occupavêre. Tacit. 13. An.
& nomine quæsito ab *Amisio* aliter *Ampsiuarij* vocantur. Clu-
ver. Germ. antiq. l. 3. c. 16. ANGRIVARIIS, quorum *defectio* à
tergo Cesari Germanico ab *Amisiâ* ad *Visurgim* profecto, & ca-
stra in *levâ* metanti *nunciata*. Tac. 2. An. Cluver. Germ. antiq.
l. 3. c. 14. BRVCTERIS, quos in *Amisia* *Drusus* *navali prælio* supe-
ravit. Strabo. l. 7. & filius *Drusi* *Amisiam* & *Luppiam* *amnes* inter
hand *procul Teutoburgiensi saltu* vastavit. Tac. 1. An. CHAMAVIS,
qui *Bructeris* veris & antiquis *Amisij* *accolis* *pulsis* & *excisis*,
cum *Angrivarijs* in *sedes* eorum *migraverunt*. Tac. de morib.
Germ. Cluv. Germ. antiq. l. 3. c. 14. CHAUCIS, Isac. Pöt. l. c. orig.
Franc. c. 9. Altham. in Tac. de morib. Germ. Cluver. l. 3. c. 18.

G

& FRI-

& FRISIIS de quibus Ptolemæus l. 2. c. 12. *Frisij usque ad Amisiam, post hos Chauci parvi.* Hodie post *Frisios, Westphalos,* atque ex horum genere *Monasterienses, Rhedenses, Osnabrugenses, Ritbergenses & Delbruggenses* pererrat.

7. IN DIOECESI PADERBORNENSI NASCENTIS. Non in montibus *Hassicis*, ut *Altham.* in Tac. de morib. Germ. neque comitatu *Ritbergico*, uti *Stangefolius* lib. 2. *Annal. circul. Westphalici*, sed deserto *Sinedi*, profunda vestitâque arboribus valle, circa quam vasta planities.

DELBRVGGIA VLTIMA BRVCTERORVM SEDES.

DELBRVGGIA. Peculiaris inter *Luppiam, Amisiam, Vurlam, Glennâ*que amnes, & *Teutoburgiensem saltum*, Diœcesis & Principatus Paderbornensis ditio seu territorium, in quo, uno magno vico excepto, cæteri incolæ dispersis longo latoque spacio villis & tugurijs habitant, industrij, laboris patientes, & militiæ apti.

2. VLTIMA BRVCTERORVM SEDES. Tac. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu.* Ultima verò Bructerorum sedes *Delbruggia* vocatur, non eo sensu, quasi novissima fuerit: Fuit enim hoc modo & ordine prima, aut certe antiquissima; sed respectu temporis, quo Germanicus bellum in Germania gessit, & reliquorum *Bructerorum*, qui ad inferiores utriusque fluvij ripas & ostia penè pertinuerunt.

3. VETE